Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Polanci Societatis Iesv Theologi, Directorivm Breve, Ad Confessarii, Ac Confitentis Mvnvs Rectè Obeundum

Polanco, Juan-Alphonso de

[Köln], 1617

Proemivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41600

Visual Library

PROEMIVM.

QVOD his turbulentis temporibus Hæreticorum impietas tam infeſto animo ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum oppugnat, Chriſtiani nominis ſtudioſis, & IESV amatoribus mirum adeò videri non debet, cum Dæmones, à quibus Hæreticorum pertinacia corroboratur, nihil magis oderint, quàm hoc ſacreſanctum myſterium, in quo paſſio Chriſti perfectiſſimè repræſentatur: per quam Lucifer ſpoliatus fuit tyrannide qua toti humano generi ſuperbiſſimè dominabatur. Verùm Chriſtianos ac religioſos viros frequentationis huius myſterij adeò moleſtos eſſe, vt non deſinant (neſcio quo ſpiritu ducti) totis viribus, & magna pertinacia illam diſſuadere & impugnare tanquam periculoſam & ſuperſtitioſam, etiam cum ma-

gna

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gna Eccleſiæ Dei, & piorum hominum offenſione, non poſſum non vehementer dolere, admirorque quo pacto non videant Sathanam non tam transfigurantem ſe in angelum lucis, ſed apertè inuidentem copioſiſſimæ gratiæ, quæ in tanto ſacramento nobis (cùm dignè ſumitur) liberaliſſimè communicatur, qua poſſimus nequiſſima eius tela extinguere, quibus nos continenter impedit ne beatitudinem illam, quam ipſe ſua ſuperbia perdidit, conſequamur. Nolo enim pro modeſtia Chriſtiana exiſtimare, viros, qui hanc pernicioſam doctrinam in Eccleſiam Dei diſſeminant, agi peruerſo iniquoque animo. ſed forſan eiuſmodi zelo, quem non eſſe ſecundum ſcientiam planè me, per gratiam Chriſti, oſtenſurum confido in explicatione quæſtionis ſtatim tractandæ, ex qua frequentationem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ex amore Chriſti vtiliorem, ac fructuoſiorem eſſe, quàm abſtinentiam ab ea ex irreuerentiæ metu, liquidò conſtabit. Chriſtus Dominus faxit, vt hanc

1. Cor. 11.

Epheſ. 6

Rom. 10

veritatem omnes intuemur. Nobis certè non huius ſuſcepti laboris finem, quàm diuinæ gloriæ, ſalutiſque animarum rationem (qui vnicus eius ſocietatis Ieſu ſcopus) propoſitum profitemur. Hinc adeo Lectorem vehementer oramus, vt quæ in hoc libello placebunt, ea Deo bonorum omnium authori accepta referat. Si quæ verò diſplibebunt, animum voluntatemque noſtram, qui communi bono ſtudemus, attendat.